

ciet. Num verò hæ res mutæ laudes DEI prædicare queunt? Ne-
quaquam: sed id vult vir divinus, debere ex iis hominem, crea-
turam ratione præditam, ansam arripere de prædicandi laudes Sa-
pientissimi mundi architecti. Porro Syracides, ubi præcepta vi-
tæ & morum condit, ipsius Aristotelis Summi Philosophi lau-
dem in scribendis Ethicis antegressus, Arcum in nubibus posi-
tum inspicere jubet, & benedicere ei, qui fecit illum. Taceo
alia, quæ plurima adferre possem, si vellem. Faciam igitur,
quod homine opera DEI magnificente dignum est, & Meteo-
rorum considerationi, quantum id ingenii admittent vires, ali-
quantum vacabo. Circumscribam autem Disputationem meam
iis limitibus, ut, cum duo sint Meteororum genera, Hypostati-
ca sc. & Emphatica, & priora iterum in tres classes distribuantur,
Ignita nimirum, Aquea & Spirituosa, ego Emphaticis, quæ vo-
cant, missis, sepositis etiam tantisper Spirituosis, circa sola Ignita
& Aquea occupatus sim, ne in immensum opus meum excreseat.

*DEUM, à quo rerum omnium primordia
capienda esse rectè censuerunt veteres, supplicii
prece veneror, ut conatus hos meos felices esse
jubeat.*

§. II.

Non autem, vocum explicationi insistens, Iliadem, quod
dicunt, post Homerum conscribam. In Græcia natum esse
Meteori Nomen, & à potiori & maxima parte deductum, Phy-
sicorum filii passim tradunt: qui &, quid Meteorum in gene-
re spectatum sit, exponunt. Ignita autem & Aquea cur & quò
modò ea, in quibus nunc operam infumimus, Meteora dicantur,
ex jam dicendis constabit. *Meteora enim Ignita
sunt, quæ ex Effluvio pingvi ac sulphureo ac-
censò oriuntur.* De his ergò primo agemus loco. Mate-
ria

ria